

honorabo ecclesiam Sancti Syri secundum suum decere, ne irascatur mihi pro iniecto sibi tanto discrimine'. De cetero, domine mi rex, prudentissime regum et clarissime cesarum, caute tractate rempublicam, et diligenter supra modum sedem apostolicam. Gaudete vos potius prodesse seculo, quam praeesse populo. Nos vero, servi vestri, optamus vos feliciter praeesse et omnibus prodesse et cum illo regnare qui semper habet esse. Satis vero consequens est et nimis laudabile, ut ipsi inimici de vestra gratia possint gaudere. Sic enim precepit veritas: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos.* Et procul dubio latum Dei mandatum, quando dilectio extenditur usque ad inimicum. Econtra valde contrarium est et nimis inhonestum, ut hi qui fideles fuerint, sentiant detrimentum. Audiant a nobis laborantem pro vobis: *Venite ad me, qui laboratis et onerati estis, et ego vos reficiam.* Tam leve et suave eis iugum inponite, ut possint equanimiter et fideliter ferre. Unum dicam apertius, quod, si celatum fuerit, ut multum timeo, diiudicabitur acrius: Quod ille perdit qui totum dedit, non debet ille possidere qui totum tulit. Totum tulit, quantum in illo fuit. Si posset suum velle, nil valeret divinum^a posse. Res enim, quæ in presentia tractatur, pro anima est et, ut magis dicam, Dei causa est. Causa vero Dei a dilectoribus Dei oportet tractari. Causam animæ vestræ eis debetis committere, qui suas^b diligere student potius quam audire. Qui diligit iniquitatem odit animam suam. De toto mundo debetis eligere, quorum arbitrio Romanum imperium decernitis ordinare. Sicut cum militibus ordinare militiam, ita cum spiritualibus ecclesiasticum tractare negotium, cum misericordibus miseriam inopum et gemitum pauperum. Si plures vobis consiliarii fuerint sive Salomone dicente: *Unus electus de mille,* cf. Cant. 5, 10. sint tales quales David se habere gaudebat, cum dicebat: *Oculi mei ad fideles terre, ut sedeant mecum, et ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat.* Ps. 100, 6. Videte, ne tales sint de quibus Isaias vobis repræhendendo dicat: *Principes tui infideles, sotii furum. Omnis diligit munera, sequitur retributiones. Pupillo non iudicant, et causa viduæ non ingreditur ad eos.* Is. 1, 23. Talibus etiam sibi male suggerentibus dedignabatur aures David accomodare, sed dicebat: *Declinate a me indigni, et scrutabor mandata Dei mei.* Ps. 118, 115. Tales omnipotens Deus a conspectibus vestris pestes longe faciat, mittendo vobis de celis auxilium et consilium, qui per cuncta secula seculorum vivit et regnat. Amen.

a) So wohl zu emendieren; suurum undeutlich c. b) scil. animas.